

ACTA GENERALIS VIII. SYNODI.

filius est, neutiq̄ generat, ver̄ ipsa natura cū filio in eadem specie cōmunicare videtur. Natura igitur humana cōmunicabilis est, persona vero vel hō hic operatur. Nō aliter profecto de diuinis psonis intelligere possumus. Nam patris persona suppositum est, atq̄ generās, diuina vero natura generatiū principū, quo pater filiū generat, qui quidem pater suam personā filio nequaquā cōmunicat, cum tū eius substantia & natura (vt supra dictū est) cōmunicabilis sit. Quæ cū vna numero sit, idcirco nō ea ratione cōmunicis dicitur esse, qua est humanitas, sed rationem tantum habet cōmunis, quatenus cōmunicabilis est, quæ quidē causa est, cur filius a patre, vt a principio nasci credatur, q̄ a diuina patris substantia nascitur, in vnaquaq̄ tamē persona identitate reali manēte. So la namq̄ relatio, quam principalem habitudinem superius nominauimus, apud oēs tam Græcos, q̄ Latinos doctores, diuina processione personas multiplicat, cui etiā duo illa a quo, & ad quod (de quibus est supra dictū) cōueniunt. Siquidē igitur relationes hu iusmodi psonas multiplicat, ita vt non vlla alia ratione, q̄ vt relationis pater a filio, ac vna persona ab alia differat, quem quidē in modū, spūs etiam ab alio est, necesse est, iuxta omnes supradictos doctores sic intelligere, vt idcirco persona hæc, id est spiritus, dicatur accipere, atq̄ eē, q̄ ab alio est. Propterea magnus Basilius, ac Epiphanius asserunt, sanctum spiritū accipere esse a filio, ac procedere, idē esse. Cōstat igitur principālis ratio, Pater reuerēde, cur ab alio spūs eē dicatur. Nunc ad illud magni Basiliū dictū veniamus, q̄d vos in mediū protulistis. Cui cū vehemēter inniti videamini, idcirco totū perlegamus, vt ipm secundū Latinoꝝ doctrinā, ac ipsius Basiliū mentē interpretemur, ac exponamus, ac exponamus: quippe qui, vt sanctū spiritum ex patre, nō aut aliunde, hoc est, nō ex alia substantia, demonstraret esse, in Eunomiū scribit ita. Sed tu tanq̄ infidelis blasphemias, qui cū spūs sancti processio ex deo generatio nūcupata nō fuerit, idcirco nec oris dei spiritū esse credis, sed opus manū dei, ita vt humanis vtens exēplis, diuina dogmata, quæ se ipsis cōstant, & ab alio nō dependent, euertas, cū sacra scripturam veneratione atq̄ religione audire, ac eius dicta summa pietate deberes suscipere. Generat deus nō vt homo. Generat autē vere, ac genitū ex se enūtiat vt bñ nō humanum, emittit autē verbum ex se vere. Emittit spiritum p os, non humanitus, qñ quidem dei os humanū nō est, ex ipso autē spūs & nō aliunde, cū pater amp. spiritū esse creatum hæretici profiterent, idcirco magnus Basilius ipm ex dei substantia, nō aut aliunde protulit esse. Deinde subiungit. Operatur deus nō humanis manibus. Operat autē, nō ex se res creatas producents, sed agendo, eas facit subsistere, quemadmodum etiam homo suis manibus operando, opus ex se non producit. Non dimoueas diuinorum ratios. Spūs nec filius est nec creatura. Non de filio quæras, cur nam spūs non dicat, neq̄ de spiritu, cur nā filius nō sit, nō deniq̄ spiritū creaturā eē blasphemias. Filii dei fructus, sanctus ex sancto, æternus ex æterno, sancti spūs dator, ad substantiā, formationemq̄ creaturæ. Ex his patet præstantiss. patres, illud, nō aliunde, nō alia ex substantia, significare, sanctumq̄ spiritū sanctū fructū ex sancto, ac æternū ex æterno eē. Vnde sequitur, si sancti spūs dator est filius, necesse eē, vt etiā ex filio idem spūs sit. Propterea sanctus Athanasius in tertio libro in Arrianos, de filio scribēs, inquit: Ipse spiritū dat, & quæcūq̄ spūs habet, a verbo habet. Luce igitur clarius est sanctum spiritum a filio habere eē. Si enī quæcūq̄ spūs habet, a filio eē dicunt, sequitur, vt esse q̄q̄ a filio habeat, vt Athanasius inquit, ipse spiritū dat, ac spiritus dator existit. Siquidē igitur ex his patet, sanctum spiritum ex filio esse, palam sequitur, vt ex filioq̄ procedat, de quo tota nostra quæstio est. Nō equidem auderem vos patres amp. tot tantosq̄ doctores aipicere, nisi esse ita, firmiter crederem. ¶ Hæc cū Iohānes dixisset, Colossensia præsul sancti Epiphaniū expositionem sup hoc euangelico dicto, ille me glorificabit, q̄ de meo accipiet, & annūtiabit vobis, recitauit. Inspicite diligenter, patres amp. Epiphaniū autoritate, in qua verbū, est, q̄d hic pater reuerēdus pronūtiat, dicēs, spūs ex patre, ac filio est, scriptū nō esse videtur. Iuxta ergo sanctoꝝ patrū theologiam intelligere possumus, ac debemus, spiritū ex patre procedere, hoc est, essentiam patris habere, a filio autem dari, ac ab his suscipi, qui credunt in ipsum. Qua quidē expositione nobis dictū illud nō obstat, neq̄ quisq̄ ex ipso in nos possetis concludere. ¶ Vsu venit, pater amp. vt doctores nos minibus positus, quandoq̄ verbum omittant, cum necessario subintelligatur, vt in hoc dicto, a quo aliquid, & ad q̄d aliquid, fecisse videntur, vbi verbū, est, non expresserant.

Mar.
 Iohan. 16. b.

Iohan.

Quemadmodum